

Flavianus Constantinopolitanus Episcopus Catholicae Fidei vindex damnatus est cum *Eusebio* Doriſſi Episcopo, eandemque damnationis sententiam subierunt Episcopi *Ibas* Edessenus, *Theodoretus* Cyrensis, & *Domnus* Antiochenus. Quin, quod maximam sapit crudelitatem, *Flavianus*, ob appellationem interpositam ad Sedem Apostolicam, vinculis constrictus est, & plagis adeo contusus, ut animam exhalaret. Quae omnia, ubi comperta habuisset *S. Leo* Papa, rescidit ac penitus damnavit in Synodo Romae habita omnia quae gesta fuerant in illo latrocinio Ephesino, petiitque a *Theodosio* Imperatore ut Concilium Generale in Italia celebraretur. Sed adduci haud potuit *Theodosius*, ut res semel adversus *Flavianum* iudicatas refricari sineret; immo res gestas in latrocinio Ephesino lege lata firmavit. At mortuo anno ccccl. *Theodosio* juniore Imperatore, *Marcianus*, qui ei in Imperii administratione successit, voluntati Summi Pontificis obsecundare volens, Concilium Generale Nicæ in Bythinia celebrandum convocavit. Sed quia *Artila* Hunnorum Rex anno ccccxi. in Gallis visus Orientem versus tendebat, *Marcianus* Imperator, ne Constantinopolim desereret, Concilium Nicæa transtulit Chalcedonem, illucque omnes Episcopos suis literis accivit. Cæpta est hæc Synodus Generalis Chalcedonensis anno ccccxi. & in ea primo definitum est contra *Eutychem*: Unum eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum ex duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum. Secundo, damnata est prædicatoria Synodus Ephesina cum illius Præside *Dioscuro* Episcopo Alexandrino, qui etiam depositus est. Tertio, *Theodoretus*, & *Ibas* Episcopi fuerunt absoluti. Sed hæc de latrocinio Ephesino, & de Synodo Chalcedonensi obiter dicta sint, de his quippe copiosius dicturi sumus in quarto Colloquio, in quo data opera agemus de Conciliis, quæ habita sunt in quinto Ecclesie sæculo.

D. Hæ sunt igitur omnes Hæreses, quæ grassatae sunt in quinto Ecclesie sæculo?

M. Præter illas, quas hæcenus recensuimus, Hæreses, tres aliæ, videlicet *Helvidii*, *Joviniani*, & *Vigilantii*, quintum Ecclesie sæculum infestaverunt, duæ tamen priores *Helvidii*, & *Joviniani* sub finem quarti sæculi pullulare ceperunt. In primis *Helvidius* Romæ infrunito ore asserere aulus est, Mariam Dei-param suæ post partum virginitatis jacturam fecisse, & filios ex carnali cum *Josepho* congressu procreasse. Insuper, virginitatem & continentiam aversabatur, & nuptias impensius extollebat. *Helvidium* moribus, ingenio, & natalibus abjectissimum fuisse testatur *Sanctus Hieronymus* in libro, quem ad illius errores confutandos edidit, & in quo sic eum alloquitur: *Quis te, oro, ante hanc blasphemiam noverat? quis dispondii supputabat? consecutus es, quod volebas; nobilis factus es in scelere. Ego ipse, qui contra te scribo, cum in eadem tecum urbe conssiam, albus, ut ajunt, aterve sis, nescio.*

Jovinianus Monachus virginitatem, & conti-

nentiam non secus ac *Helvidius* impugnavit, meritum in hac vita, sicut & præmiorum, quæ Deus post hanc vitam iustis retribuitur est, inæqualitatem negavit; ad crapulam & libidinem homines excitavit his verbis, quæ *S. Hieronymus* refert in libris, quos contra illum scripsit: *raro jejunate, crebrius nubite; non enim potestis implere opera nuptiarum, nisi mulceam & carnes, & nucleum sumpseritis. Viribus opus est ad libidinem. Cito caro consumpta marcescit. Nolite timere fornicationem. Qui semel in Christo baptizatus est, cadere non potest; habet enim ad despumandas libidines solatia nuptiarum.* Damnatus est *Jovinianus* in Synodo Mediolanensi, & postea a *Siricio* Papa anno cccxc. *S. Augustinus* contra illum edidit librum de bono conjugali, eumque tanquam barbarum, stupidum & in sermonibus suis confusum perstringit *Sanctus Hieronymus* sic loquens lib. i. adversus *Jovinianum*: *quos cum legissem, ideo Joviniani libros, & omnino non intelligerem, cepti revolvere crebrius non verba modo atque sententias, sed singulas penes syllabas, discutere, volens prius scire quid diceret, & sic vel probare, vel redarguere, quod dixisset. Verum, scriptorum tanta barbaries est, & tantis vitiis spurcissimis sermo confusus, ut ne quid loquatur, nec quibus argumentis velit probare, quod loquitur, potuerim intelligere &c.* Denique, anno ccccxi. *Honorius* Imperator edidit Mediolani legem 53. Cod. Theod. de Hæreticis in *Jovinianum*, qui jam Mediolanensi Urbe anno cccxc. profugus ad Diocesim Romanæ Urbis se se receperat, ibidem que extra muros ejusdem Urbis conventus agebat; iussitque Imperator, *Jovinianum* Hæreticum in Insulam *Boam* in Dalmatia sitam, plumbatis prius casum, deportari, omnesque illius ministros, ac erroris participes in alias pariter Insulas inter se diversos ablegari.

Vigilantius natione Gallus, ut *Petrus de Marca* in Opusculo posthumo, Dissertatione de patria *Vigilantii* recte demonstrat, non vero *Calaguritanus* in Hispania, ut visum est Cardinali *Baronio*, Hæresim suam, quam sub Sanctimoniarum larva diu occultaverat, cepit evomere anno ccccvi. eamque late sparsit per Galliam, quæ, teste *S. Hieronymo* in libro, quem contra *Vigilantium* lucubravit, errorum monstra hæcenus non habuerat: *Sola Gallia, inquit S. Hieronymus, monstra non habuit, sed viris semper fortissimis, & eloquentissimis abundavit. Exortus est subito Vigilantius, seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnat contra Christi spiritum.* *Vigilantius* multos profudit errores, quos nostri temporis Hæretici *Calvinista*, & *Lutherani* recoxerunt. Impugnavit quippe sacrarum Reliquiarum cultum, invocationem Sanctorum, eorumque miracula. Sugillavit vigiliis, & pernoctationes in Basilicis Martyrum a fidelibus celebrari solitas. Jejunia, Clericorum cœlibatum, Virginitatem, & Monasticum Ordinem improbabat, & ad suos tutandos errores librum quartum *Esdrae* Apocryphum velut Canonikum laudabat. Hos *Vigilantii* errores invictissimis argumentis prostravit *S. Hieronymus*, eorumque auctorem *Vigilantium* appellat *Dormitantium*, *Dæmoniacum*, *Cauponem Calaguritanum*, *Muum* *Quin-*

Quintianum, *virum libidini fræna permittentem, Furiosum, Samaritanum & Judæum, Sacrilegum, Magistrum Cerebrosolum, Infelicem hominem, & omni lacrymarum fonte plangendum.* Has tamen in speciem acriores oburgationes *Sanctus Hieronymus* non ira expressit, sed zelus pro Dei gloria, & fidei integritate iustissime accensus. Unde ipsemet *S. Doctor* Epistola 53. ad *Riparium* Presbyterum ait: *Fatebor tibi dolorem meum, sacrilegium tantum Vigilantii patienter audire non possum. Non est crudelitas pro Deo pietas. (a)*

(a) *Vigilantius* Presbyter natione Gallicanus erat, ut recte hic adnotatur, & Convenentis, quæ Provincia est Aquitanicæ tertia. Presbyteri dignitatem obtinuit. Principio quidem *S. Hieronymo*, quem *Vigilantius* in suo itinere Palæstino invisit, carus fuit, & laudatus, ut ex ejusdem *Hieronymi* Epistola 49. ad *S. Paulinum* Nolanum discimus. At vaser hæreticus e peregrinatione sua redux officii amici non paria rependit; nam calumnias per universam Galliam in illum sparsit tanquam nimis avidum legendi Opera *Origenis*, & *Origenianismi* fætorum; quod & scriptis libellis undique evulgavit. Nec intra hos fines stetit, nam haud diu post, non amico tantum, sed & universæ Ecclesiasticæ doctrinæ renunciavit, in hæresim lapsus, quam apud *Gravesoniam* hic legas. Credibile tamen est dein post refutatos errores ejus a *S. Hieronymo* respicisse, palamque errorem suum ejurasse, nam deserta Gallia, ac receptus intra Diocesim *Barchinonensem* Ecclesiam, ibi usque ad mortem rexit teste *Gennadio* de *Vir. Illust.* cap. 35.

D. Zelum *S. Hieronymi* in his refellendis Hæreticorum erroribus vehementissime laudo, eo potissimum nomine, quod nobis validissima suppeditavit arma ad expugnandos nostri temporis Hæreticos, qui omnes *Vigilantii* blasphemias exceperunt, easque etiamnum populis propinare, ac prædicare non desistunt.

COLLOQUIUM III.

In quo exhibetur series Episcoporum, qui in quinto Ecclesie sæculo præcipuas Sedes occuparunt.

M. Puto, te meminisse has esse præcipuas Ecclesie Sedes, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam. Cum igitur, nemine refragante, Sedes Romana cæteris tum dignitate, tum auctoritate & jurisdictione longe antecellat, necesse est, ut in primis exhibeamus seriem Episcoporum, qui in quinto Ecclesie sæculo Sedem Romanam tenuerunt.

Mortuo *Anastasio* Romano Pontifice die xiv. mensis Decembris anni cccc. vacavit Sedes Romana dies septem, & die vicesima prima mensis Decembris ejusdem anni festo *S. Thomæ* Apostoli sacra, *Innocentius* I. natione *Albanensis* creatus est Pontifex Romanus, seditque annos quindecim, menses duos, dies viginti, ac subinde vita fun-

ctus est die xii. mensis Martii anno ccccxvii. sicut invictis momentis contra *Baronium* evincit *Cl. Pagius* ad annum ccccxvii. Sub Pontificatu *Innocentii* I. Concilia Carthaginense, & Milevitanum contra Pelagianos in Africa celebrata sunt. Damnavit etiam idem Summus Pontifex Pelagium & Cælestium. Suscepit appellationem *Sancti Chrysostomi* Episcopi Constantinopolitani in Synodo ad *Quercum* inique damnati, & in ipsum male gesta auctoritate sua rescidit. Multas Epistolas Decretales scripsit, quarum præcipuæ, & ad faciendam Ecclesie disciplinam maxime necessariæ diriguntur ad *Decentium Eugubinum*, ad *Vitricium* Rothomagensem, ad *Exuperium* Tolosanum, & ad *Felicem* Nucernum. Nonnulli asserunt, *Innocentium* I. anno ccccvii. scripsisse Epistolam ad *Arcadium* Imperatorem, in qua anathemate percussit omnes persecutores *S. Chrysostomi*. At Epistolam illam supposititiam esse docent periti Critici, non solum quia hac in Epistola fermo fit de *Eudoxia* Augusta, quam tamen certissime constat supremum diem obiisse anno cccciv. hoc est triennio ante datam illam Epistolam; sed etiam quia illius Epistolæ *Innocentii* I. ad *Arcadium* nec *Palladius*, nec *Socrates*, nec *Theodoretus*, nec *Sozomenus*, nec *Zonaras* auctores Græci, nec aliqui ex Latinis mentionem fecerunt, sed primus dumtaxat *Georgius* Alexandrinus, qui septimo sæculo vixit, ejus meminerit, ex quo postea *Nicephorus* & *Glycas* Scriptores Græci eam hauserunt. Idem iudicium ferendum esse censent viri eruditi de binis ejusdem Imperatoris *Arcadii* ad *Innocentium* Papam Epistolis, quas refert *Glycas*, Scriptor nec antiquus, nec satis accuratus.

Post mortem *Innocentii* Papæ vacavit Sedes dies tantum vi. & *Zosimus* natione Græcus die xvii. mensis Martii anni ccccvii. ordinatus est Romanus Pontifex. Sedit annum unum, menses novem, & dies novem, migravitque ad Deum die xxvi. Decembris anni ccccviii. hic Summus Pontifex, ut in præcedenti Colloquio observavimus, errore facti deceptus Pelagium & Cælestium innocentes putavit, & pro ipsis scripsit ad Africanos Episcopos. Verum re maturius considerata, & accepta Episcoporum Africanorum relatione, Cælestium ad audientiam vocavit, eumque non comparentem una cum Pelagio damnavit. Epistolam suam *Trafforiam* contra Pelagianos scriptam ad Orbis Episcopos direxit, & ab *Honorio* Imperatore Rescriptum obtinuit, quo Pelagiani Romæ pellerentur. Denique, *Zosimus* Papa Ecclesie Arelatensis, in honorem *S. Trophimi* primi illius Antistitis, non solum Metropolitanicam dignitatem in Viennensi Provincia, & jus Ordinationum confirmavit, sed etiam in *Narbonensem* utramque, potestatem ipsi concessit amplissimam, vetuitque *Proculo* Massiliensi Episcopo, & *Hilario* *Narbonensi* Antistiti, ne ordinationes Episcoporum, absque Arelatensi Episcopi assensu facere præsumerent. Sed de hac lite Viennensem inter & Arelatensem Episcopum, de jure Ordinationum exorta, & in Synodo Taurinensi composita, iterum redibit fermo in sequenti Colloquio, in quo dis-

seremus de Conciliis, in quinto Ecclesie sæculo celebratis.

Mortuo *Zosimo*, duo in Romanum Pontificem allesti sunt, *Bonifacius* Presbyter, & *Eulacius* Archidiaconus. Et hoc fuit tertium Schisma, quod Ecclesiam Romanam afflixit. Primum siquidem Schisma fuit *Novatiani* adversus *Cornelium*. Secundum, *Ursicini* contra *Damasum*. Tertium, *Eulalii* contra *Bonifacium*. In tertio isto Schismate Clerus pene omnis Bonifacio adhæsit. *Symmachus* Urbis Romæ Præfectus cum aliis paucis *Eulakio* favit, *Honoriumque* Imperatorem falsis suis relationibus decepit. Sed supplici Cleri Romani libello de Bonifacii legitima electione certior factus Imperator, utrumque electum Ravennam accessit. Habita est in hanc rem Ravennæ Synodus anno ccccix. Sed re infecta, alia apud Spoletum indicta est Synodus. Interim, utrumque electum Urbe Roma abstinere iussit Imperator, & *Achilleum* Spoletinum Episcopum, qui Pontificis vices in sacris gereret Paschatis tempore, Romam direxit. Mandatis Imperatoris non obtemperavit *Eulacius*, sed moræ impatiens Romam ingressus seditioni faces ministravit. Qua de causa iussit Imperator, ut *Eulacius*, qui Pontificatum invaserat, Roma pelleretur, & ad *Symmachum* Urbis Præfectum scripsit, ut *Bonifacius* in urbem restitueretur, & tanquam Pontifex legitime electus ab omnibus susciperetur. Statim ac *Bonifacius*, extincto Schismate pacifice sedit, auctor fuit Imperatori *Honorio*, ut illud emitteret Edictum quo sancivit, quod si deinceps duo electi fuissent, nullus ex his Pontifex esset, sed solum ille in Sede Apostolica permaneret, quem ex numero Clericorum nova ordinatione divinum iudicium, & universitatis consensus elegeret. Narbonensis Ecclesie jura a *Zosimo* decessore suo in gratiam Ecclesie Arelatenis imminuta restituit *Bonifacius*. Sedit iste Pontifex annos tres, menses octo, dies sex. Fuit quippe ordinatus die vigesima nona mensis Decembris anni ccccviii. & obiit die quarta Septembris anni ccccxi.

Post mortem *Bonifacii* vacavit Sedes dies sex, & *Cælestinus*, natione Campanus, die decima mensis Septembris anni ccccxi. Pontifex consecratus est. Sedit annos novem, menses decem, dies novem, & mortuus est die xviii. Julii anni ccccxxii. Pelagianos Italia expulit *Cælestinus*, Semipelagianos compressit, *Nestorium* damnavit, præfuit per suos Legatos Synodo Generali Ephesinæ celebratæ anno ccccxxi. in qua Nestorii Hæresis proscripita fuit. *Novatianis* Ecclesias, quas Romæ habebant, ademittit. Morientibus denegandam non esse pœnitentiam, statuit. Denique, decessoris sui Bonifacii decretum circa Narbonensem, & Arelatensem Ecclesiam confirmavit.

Sixtus III. die xxiv. Julii Anni ccccxxii. in locum *Cælestini* Papæ subrogatus est, & obiit die undecima mensis Augusti Anni ccccxl. Hic est ille *Sixtus*, ad quem, dum adhuc Ecclesie Romanæ Presbyter esset, scripsit *S. Augustinus* adversus Pelagianorum errores Epistolam centesimam quin-

tam, secundum veterem ordinem. Sub *Sixti* Pontificatu pax sancita est *Cyryllum* Alexandrinum inter & *Joannem* Antiochenum, & alios Orientales Episcopos anno ccccxxiii. de qua pace, & Nestorii Episcopi Constantinopolitani damnatione Sanctus ille Pontifex gratulatorias ad ipsos misit Epistolas. Fertur, hunc Pontificem eodem anno fuisse ab *Anicio* Exconsule de stupro accusatum, seque ab hoc crimine, Clero, Senatu, & Imperatore præsentibus, in Synodo Romæ habita purgasse. Sed hæc *Sixti* Pontificis accusatio fabularum numero accenseri merito debet. Acta enim, quæ circumferuntur, illius Synodi Romæ de causa & accusatione *Sixti* Pontificis falsa Consulum nota consignantur, & Anachronismis scatent. Nec ullum illi fabulæ robur accedit ex Epistola, quæ eidem *Sixto* Pontifici attribuitur, ad Episcopos Orientales; quia illa Epistola supposititia est, & mera farrago contexta ex sententiis Concilii Toletani octavi, Felicis III. Gregorii M. Hadriani I. Codicis tam Theodosiani, quam Justiniani, Aniani Interpretis, & *Sixti* Pithagoræ. Eiusdem futuris sunt Acta de Synodali accusatione, & expurgatione *Polychronii* Episcopi Hierosolymitani, quæ sub Pontificatu *Sixti* III. Romæ dicuntur habita. Toto enim Sedis *Sixti* Papæ tempore, non *Polychronius*, sed *Juvenalis* præfuit Ecclesie Hierosolymitanæ. Obsessio etiam Hierosolymorum, quæ hac tempestate facta refertur in illis Actis, mera fabula est. Sub nomine *Sixti* III. Papæ prostant quedam Opuscula, nempe liber de *Divitiis*, alter de *Casitate*; & Epistola de malis *Doctoribus*, quæ ipsi a peritis Criticis jure ac merito adjudicantur, & viri alicujus Pelagiani sætus agnoscuntur.

Sixto III. post interpontificium XLI. dierum, *S. Leo*, quem alii patria *Romanum*, alii *Tuscia* natum dicunt, successit die vicesima secunda mensis Septembris anni ccccxl. sedit annos viginti unum, mensem unum, & dies tredecim, migravitque ad Deum die quarta mensis Novembris anni ccccxi. ut evincit ad hunc annum doctissimus *Pagius* in sua Critica Baronii. A variis consultis Episcopis *S. Leo* Papa, cognomento *Magnus*, rescripsit Epistolas sapientia, eruditione, & studio in disciplinam Ecclesiasticam conspicuas. Plebem sibi commissam non vitæ solum exemplo excitare, sed etiam piis & eloquentibus Homiliis erudire aggressus est. Manichæos infestatus est, sed præsertim Eutychnianæ Hæresi acerrimum bellum indixit, ad quam penitus profligandam scripsit ad *Flavianum* Constantinopolitanum Episcopum Epistolam, quæ a Patribus Concilii Chalcedonensis maximopere laudata & approbata est. Contentionem habuit sanctissimus ille Pontifex cum *Hilario* Arelateni Episcopo occasione *Celidonii* Episcopi ab *Hilario* depositi, & hac de causa *S. Leo* Arelatenem Ecclesiam suis exuit privilegiis, & jura Metropolis in Viennensem transtulit Ecclesiam, ut plenius ostendimus in sequenti Colloquio. At mortuo *Hilario* Arelateni Episcopo, placatus *S. Leo* litem prudenter composuit, concedendo

dendo Viennensi Metropoli quatuor Ecclesias, *Valentiam*, *Tarentasiam*, *Genevam*, & *Gratianopolim*; reliquas Arelateni subiecit Ecclesie. Demum, *S. Leo* Pontifex non solum Ecclesie, sed etiam Republicæ prospiciens, ad *Attilam* Romæ imminentem perrexit, verbis demulsit ferocem animum, iram fregit eloquentia, pacem recipere persuasit, eumque Italia discedere, ac sua relegere vestigia compulit, sicut jam observavimus in primo Colloquio in Historiam hujus sæculi.

Post mortem *S. Leonis* Papæ fuit interpontificium septem dierum, & die duodecima mensis Novembris anni ccccxi. *Hilarius* natione Sardus Pontificatum inivit. Sedit annos sex, menses tres, dies x. & obiit die xxi. mensis Februarii anni ccccxviii. hic Summus Pontifex ardentissimum adhibuit studium, ac singularem vigilantiam in procuranda per universam Ecclesiam sacrorum Canonum executione, ac eorumdem transgressione vindicanda. *Mamertum* Viennensem Episcopum, qui Diensis Ecclesie, quæ ad Arelateni Episcopi Dioccesim pertinebat, Episcopum ordinaverat, sedere redarguit, iussitque ut ille, qui Diensis Ecclesie fuerat a *Mamerto* Episcopo consecratus, *Leontii* Arelateni Episcopi, a quo rite consecrari debuerat, arbitrio confirmaretur. Præcepit idem Summus Pontifex, ut *Irenæus*, quem *Nundinarius* Barcinonensis Episcopus, consentientibus Provinciae Tatraconensis Episcopis successorem sibi designaverat, ab ea removeretur Ecclesia, aliisque e Barcinonensis Ecclesie Clero eligeretur, & ordinaretur Episcopus. Improbavit etiam Factum *Sylvani* Calaguræ in eadem Tatraconensi Provincia Episcopi, qui contra Canones alienum Presbyterum, proprio adhuc vivente Episcopo, in eadem Ecclesia ordinaverat. Denique, *Ingenus* Episcopo Ebredunensi vindicavit ac confirmavit jus Metropolitanum in Provincia Alpium Maritimarum.

Simplicius, patria Tiburtinus, post quatuor dierum a morte *Hilarii* Papæ intervallum, Pontifex Romanus fuit inauguratus die xxv. mensis Februarii anni ccccxviii. præfuit Ecclesie Romanæ per annos quindecim & dies sex, obiitque die i. mensis Martii anni ccccxxxiii. Sub Pontificatu *Simplicii* extinctum omnino fuit Imperium Occidentis in persona *Augustuli*, qui fuit ultimus Occidentis Imperator. *Odoacer* siquidem Herulorum Rex Arianus, capta Roma, Regnum Italiae instituit. *Zeno* Orientis Imperator, sedente *Simplicio* Papa, haud parum turbavit Ecclesiam, non solum patrocinando pseudo-Episcopis Eutychnianis, videlicet *Timotheo* *Æluro*, & *Petro* *Mongo* Alexandrinam infestantibus Ecclesiam, necnon *Petro* *Fulloni* Sedis Antiochenæ invasori, & *Acacio* Constantinopolitano, sed etiam promulgando novam fidei formulam ita callide conceptam, ut in eam Hæretici perinde ac Catholici consentire possent. Quam fidei formulam *Henoticon*, seu Conciliatorium, appellavit. Sed cum in eo *Zenonis* Edicto tacita inesset abrogatio Concilii Chalcedonensis, in quo damnata fuerat Eutychniana Hæresis, ideo *Simplicius* Papa huic Edicto strenue resistit, & *Timotheum* *Ælurum*,

Petrum *Mongum*, & *Petrum* *Fullonem* damnavit, & ab Ecclesie communione rescidit.

Felix III. Papa, post quinque dierum interpontificium, successit *Simplicio* die vi. mensis Martii anni ccccxxxiii. seditque annos octo, menses undecim, dies xviii. & ad Deum migravit vi. Kalendas Martii, seu die vicesima quarta Februarii anni ccccxcii. damnavit hic Summus Pontifex *Henoticon* *Zenonis*, coegitque Romæ Synodum Anno ccccxxxiii. in quo missi sunt in Orientem legati *Vitalis* Troentinus Episcopus, & *Misenus* Cumanæ Ecclesie Antistes. Sed hæc legatio infeliciter cessit. Nam cum primum hi legati *Abydum* venissent, in custodiam conjecti sunt, eosque Imperator qua minis, qua blanditiis compulit, ut communionis societatem cum *Petro* *Mongo* Alexandrino, & *Acacio* Constantinopolitano inirent. Quibus factis, legati *Sedis* Apostolicæ operi ignominia, & dedecore Romanam reversi sunt. At paulo post eorum ex Urbe Constantinopoli discessum, *Felix* Ecclesie Romanæ defensor, qui a *Felice* Papa ex latere suo legatus cum *Vitali*, & *Miseno* fuerat missus, cogente morbi necessitate tardius Constantinopolim veniens, ita contumeliose exceptus est ab *Acacio* Episcopo Constantinopolitano, ut nec eum in conspectum suum admittere voluerit. Cum hæc omnia in Oriente inique gesta ad aures *Felicis* Papæ pervenissent, collegit Summus Pontifex. Romæ anno ccccxxxiv. Synodum lxxvii. Episcoporum in Basilica *S. Petri*, in qua *Vitalis*, & *Misenus*, cum legationis sibi mandatæ rationem reddere iussi, vanas rationes causarentur, *Felix* Papa utrumque sacerdotio & communione privavit. Deinde, *Petrum* *Mongum* Alexandrinum Episcopum, & *Acacium* Constantinopolitanum a sacerdotali Collegio, & ab Ecclesiastica communione pronuciavit alienos. Postremo, idem Summus Pontifex anno sequenti, seu ccccxxxv. alteram habuit Synodum, in qua ad *Zenonem* Imperatorem scripsit Epistolam, eique nunciavit, *Petrum* *Fullonem* Episcopum Alexandrinum Synodali iudicio anathematis sententia damnatum, ex Antiochena Ecclesia, quam invaserat, expellendum esse, & ab ejus communione omnino abstinendum. (a)

(a) Hanc tamen epistolam, quæ Græce, & latine extat in collectione Conciliorum Labbeana ex Frontonis Ducæ Interpretatione & cum Græco textu a *Binio* edito fictitiam esse, a Græculo quodam fabricatam suspicatus est *Valesius* Sac. Obs. ad Evagt. l. i. cui consonare visus est *Cl. Maffei* in suo suppl. *Acaciano*, qui saltem interpolatam demonstrat, ac novissime rejectionem edicunt *Ballerini* in nova editione operum *S. Leonis* Magni tom. III. p. 145. Sunt tamen qui sinceram defendunt. *Pagius* ad an. 478. n. 9. & ad annum 485. n. 23. Ex quo fit, ut Synodus Romana in ea indicata anni 485. dubia sit. Caveus idem ac *Pagius* ea de reserit. Post *Felicis* III. mortem cessavit Pontificatus die quinque, & *Galasius* natione Afer die prima mensis Martii anni ccccxcii. consecratus est Pontifex Romanus. Sedit annos quatuor, menses octo, dies octodecim, & e vivis excessit die decima nona mensis Novembris anni ccccxcvi. noluit Summus ille

Pontifex, vestigiis sui decessoris insistent; *Euphemium* Constantinopolitanum Episcopum Catholicum licet, & alios Orientis Antistites Ecclesiastica communione donare, nisi antehac nomen *Acacii* qui fuerat Episcopus Constantinopolitanus, & a *Felice* III. Papa damnatus, ex Diptychis expungerent. *Misenum* tamen Episcopum, qui ut mox diximus, legatus Constantinopolim missus cum *Acacio* communicaverat, & ob id a *Felice* Papa sacerdotio, & communione fuerat privatus, Sedis Apostolicæ implorantem misericordiam ab solvit, & in communionem recepit. Pelagianam Hæresim in Dalmatia, & in Piceno redidivam extinxit. *Lupercalium* superstitionem ea, quæ Pontificem decet libertate, penitus sustulit. Epistolam Decretalem ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos multa disciplinæ Ecclesiasticæ complectentem capita scripsit. Denique, Sanctus ille Pontifex anno ccccxciv. Concilium Romæ lxx. Episcoporum celebravit, in quo accurato Criterio libros Canonicos Scripturæ Sacræ, Œcumenica Concilia, & scripta Sanctorum Patrum excussit, & certa ab incertis, & genuina ab adulterinis secreta, Apostolico roboravit Decreto, magno Ecclesiæ commodo, & gentium utilitati semper profuturo. (a)

„ (a) Celebre illud Decretum de libris apocryphis quaquam *Gelasio* in vetustis codd. „ plerumque tribuitur, in aliis tamen æque vetustis aliis etiam Pontificibus adscriptum est, „ uti *Damaso* & *Hormisdæ*. Hoc ideo forte, quia „ *Damasus* primus ejus conditor fuit, postea confirmavit *Gelasius*; & promulgavit in Romana „ Synodo, auctum tamen, nonnullis adjectis, „ prout temporum suorum ratio postulabat. Deum „ *Hormisdas* forte iterum auctum tertio „ confirmavit ac publicavit. In meo *Lucensi* codice, ante annos fere mille exarato, decretum „ istud comparet absque catalogo veteris novique testamenti, & adjecto quodam prologo qui in „ editis huc usque deest, ac *Gelasii* nomine inscribitur. Vicissim autem in *Jurensi* parisi antiquitatis, a *Chifflerio* edito, *Hormisdæ* nomen „ præfertur, & catalogus ille utriusque Testamenti legitur.

Mortuo *Gelasio*, cessavit Sedes Pontificia dies sex, & *Anastasius* II. patria Romanus die viceima quarta Novembris anni ccccxcvi. Pontifex fuit ordinatus. Sedit annum unum, menses undecim, dies quatuor & viginti, obiitque e vis die xvii. mensis Novembris anni ccccxcviii. gratulatus est *Anastasius* per literas *Clodoveo* Francorum Regi de suscepto ab eo tum temporis Baptismo. Misit etiam legatos ad *Anastasio* Imperatorem ad reconciliandam Ecclesiam Orientalem cum Occidentali, ea tamen lege, ut Orientales Episcopi consentirent, quod *Acacii* nomen inter Episcopos Constantinopolitanos omnino reticeretur.

Post obitum *Anastasio* II. vacavit Sedes quatuor diebus, & die viceima secunda mensis Novembris anni ccccxcviii. *Symmachus* natione Sardinus Pontifex ordinatus est, non sine tumultu & schismate. *Festus* siquidem Senator Romanus, qui

Imperatori *Anastasio* pollicitus fuerat, effecturum se ut Pontifex Romanus *Zenonis* Henoticon subscriberet, cumque hanc subscriptionem a *Symmacho*, qui a majori & seniore parte electus erat Pontifex, obtenturum se diffideret; *Celium Laurentium* Archipresbyterum S. Prædix in Pontificem, seu potius in Antipapam effusis pecuniis eligendum curavit. Quæ circa exortis hinc inde inter Populum, Clerum, ipsamque Senatum discordiis, ambæ partes non sine cæde & sanguine ad *Theodoricum* Regem Italiæ Ravennam confugerunt. Rex, etsi Secta Arianus esset, litem adjudicavit *Symmacho*, qui prior fuerat electus. *Symmachus* itaque Pontificatu potitus Synodum habuit Romæ anno sequenti, seu anno ccccxcix. in qua actum est de tollendo ambitu in comitiis Pontificiis, & de præcludenda schismatibus via, Aliam Romæ anno quingentesimo coegit Synodum, in qua, ut *Celium Laurentium*, qui Antipapa fuerat creatus, Ecclesiam turbare desineret, *Symmachus* eum *Nucerinæ* Episcopum renunciavit. At schisma, quod videbatur positum, acrius recruduit anno quingentesimo tertio. Tunc enim aliqui ex Clero, & nonnulli ex Senatu, maxime *Festus*, & *Probinus* multorum criminum *Symmachum* Papam accularunt, & occulte *Laurentium* Antipapam revocarunt, miseruntque ad Regem *Theodoricum* relationem, ut visitatorem daret. Rex eorum votis annuit, eisque concessit visitatorem *Perrum* Altinæ Civitatis Episcopum, qui in partes *Laurentii* Antipapæ inclinans turbavit omnia, ut testatur *Ennodius* Ticinensis in Apologia pro *Symmacho*, multoque in Urbe excitavit tumultus, ad quos compescendos *Theodoricus* Rex anno dccc. Concilium Romæ jussit convocari *Palmanium* a loco ubi celebratum est, in quo Concilio *Symmachus* Papa fuit innocens declaratus, & a criminibus falso ei impositis omnino purgatus. Sed de hoc *Palmani* Concilio, sicut & de aliis Synodis, quas Romæ ineunte sexto Ecclesiæ sæculo *Symmachus* Papa celebravit, commodius agemus in nostris Colloquiis in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi. (b)

„ (b) Chronologiæ huic de annis, quibus singuli Pontifices sæculi quinti sederant, ac de interpontificiis, non est cur in omnibus fidamus; „ deducta enim plerumque est ex *Anastasio* Pontificali, cujus Codices MSS. in numeralibus notis inter se variant. Est mihi ad manus MS. „ ejus Codex sæculi viii. multum ab edito ea in re discrepans, & cum *Mediolanensi* vetustissimo, a *Muratorio* collato, plerumque conveniens, ex quo hæc speciminis gratia profero. „ *Anastasio* interpontificium est dierum xxi. *Innocentii* I. dierum xxii. *Zozimi* sedes est anni unius, mensium iii. dierum xxii. interpontificium vero dierum xi. & sic de singulis. „ Cui igitur fidendum sit plane ignoramus. Non tamen semper *Pagii* Chronologiam sollicitandam esse judico, cum non raro supputationes suas aliunde, quam ex Pontificali acciperit.

D. Seriem Pontificum, qui in quinto sæculo Romæ præfuerunt Ecclesiæ, nunquam fuisse inter-

interruptam, nullamve in Sedem Patri Episcopum Hereticum irrepsisse plane video. Sed anteprecipue alia Sedes, videlicet Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, & Constantinopolitana eandem in quinto sæculo sortem obtinuerint, & Catholicos Episcopos continua successione habuerint, nunc a te scire percipio.

M. Sedes Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, & Constantinopolitana multis factionibus fuerunt in quinto Ecclesiæ sæculo exagitata, & in eas intrusi sunt aliquando Episcopi Schismatici, & Heretici, qui Episcoporum Catholicorum successionem ad tempus interruperunt. Ut autem seriem Episcoporum, qui præcipue illas Sedes in quinto Ecclesiæ sæculo tenuerunt, perspectam habere possis, incipiam ab Episcopis Ecclesiæ Alexandrinæ, quæ post Romanam Sedem primas tenet.

In primis *Theophilus* ordinatus est Episcopus Alexandrinus die viceima mensis Julii anni 385. sedit annos xxvii. menses duos, & dies xxvii. & mortuus est die xv. Octobris anni ccccxi. Graves, ac diuturnas contentiones habuit *Theophilus* Alexandrinus cum S. Joanne Chrysofomo Episcopo Constantinopolitano, quæquam originem & progressum in sequenti Colloquio opportunius expendemus.

Tertio die post *Theophili* obitum, seu die decimo octavo mensis Octobris anni ccccxi. *Cyrillus* nepos *Theophili* consecratus est Episcopus Alexandrinus. Sedit annos triginta duos, & obiit anno ccccxliv. Nestorianæ Hæreses fuit acerrimus impugnator, præfuitque Concilio Œcumenico Ephesino contra Nestorium celebrato *Cælestini* I. Romani Pontificis nomine. Quidam nuperim Scriptores commentum sunt, S. *Cyrillum* Episcopum Alexandrinum in Carmelo Monachatum fuisse professum. Sed hanc fabulam merito exulfat Cardinalis *Baronius*, eamque refellit ex silentio coæporum Auctorum, qui de Monachis id ratis in Palæstina degentibus amplissimam mentionem fecerunt, illius tamen præfati Monachatus Sancti *Cyrilli* ne leviter quidem meminerunt.

Dioscorus anno ccccxliv. Sancto *Cyrillo* in Sede Alexandrina successit, sed, cum Hæresi *Eutychnianæ* aperte faveret, a Synodo Chalcedonensi anno cccccli. Episcopatu Alexandrino dejectus, jussu Imperatoris *Marciani* Gangram Asiæ minoris civitatem deportatus est, ubi interiit anno cccccliv. Fuit vir moribus turpissimus, *Eutychnianæ* Hæresis factor. Præfuit latrociniis Ephesino, in quo erga *Flavianum* Episcopum Constantinopolitanum, & Legatos S. Leonis Summi Pontificis crudelissime se gessit. *Anatolium* in locum *Flavianii* Episcopum Constantinopolitanum suffecit, eoque tandem temeritatis prorupit, ut a prædatoria Synodo Ephesina reversus Alexandriam, vocatis ad Synodum quibusdam sceleratis, ac suis similibus Episcopis, Sanctum Leonem Pontificem Maximum anathemate percellere ausus fuerit.

Deposito *Dioscoro* in Concilio Chalcedonensi anno cccccli. *Proterius* post plures tergiversationes,

populique tumultus Patriarcha Alexandrinus fuit electus. Illius fides S. *Leoni* Summo Pontifici primo suspecta fuit eo potissimum nomine, quod *Proterius* olim charus fuisset *Dioscoro*, qui curam tutelamque Ecclesiæ Alexandrinæ illi commiserat, quando ad Pseudo-Synodum Ephesinam profectus est. Verum, postquam S. *Leo* literas accepisset *Marciani* Imperatoris, in quibus de *Proterio* Alexandrinorum Antistite magnifice loquebatur, eique ipsemet *Proterius* suæ fidei rationem per Epistolam reddidisset; actutum Summus Pontifex *Proterio* fidei integritatem gratulatus est Epistola 103. quam *Quesnellus* ex Codice Cardinalis *Grimani* una cum aliis ejusdem S. Leonis Pontificis Epistolis publici juris fecit.

Mortuo *Marciano* Imperatore die VII. mensis Februarii anni ccccclvii. *Eutychniani* *Timotheum* cognomento *Ælurum* Patriarcham Alexandrinum elegerunt, & in S. *Proterio* cum tanta rabie irruerunt, ut eum crudeliter trucidarint, lanarint, ejus viscera ferarum more vorarint, cineresque sparserint in ventos. Leges *Henschenium*, qui multa habet de virtutibus S. *Proterii* Patriarchæ Alexandrini & Martyris ad diem 18. mensis Februarii, quo colitur a Græcis.

Leo Imperator, qui successit *Marciano*, Catholicorum Episcoporum, & Clericorum Alexandrinorum libellis supplicibus, precibus, & rationibus permotus *Timotheum* *Ælurum* interfectorem S. *Proterii*, Episcopatu Alexandrino, quem invaserat, dejectum Chersonam exilio relegavit anno ccccclx. & post elapsos quinque menses, in ejus locum *Timotheus Solophaciolus*, idest, *Albus*, Synodi Chalcedonensis defensor, Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus fuit ordinatus, eamque pacifice administravit usque ad annum ccccclxxvi. quo anno *Basiliscus* Tyrannus, expulso *Zenone* legitimo Imperatore in Isauriam, occupavit Imperium, Chalcedonensem damnavit Synodum, *Timotheum* *Ælurum* ab exilio revocatum in Sedem Alexandrinam restituit. Sed anno ccccclxxvii. *Zeno* in Imperium restitutus, & oppresso *Basilisco*, qui tyrannidem arripuerat, *Timotheum* *Solophaciolum* Ecclesiæ Alexandrinæ reddidit. Eodem anno mortuus est *Timotheus* *Ælurus*, & in ejus locum Heretici Alexandrini subrogarunt *Perrum Moggum*, seu *Mongum*, antea *Archidiaconum*. Sed eò, jussu Imperatoris *Zenonis*, dejecto, *Solophaciolus* Ecclesiam Alexandrinam rexit usque ad annum ccccclxxxii. quo anno mortuo *Solophaciolo*, *Joannes Talaja*, quem Græci *Tabenniosiam* cognominant, eo quod esset e numero *Tabennensium* Monachorum, qui apud Canopum Monasterium habitabant, a Catholicis ordinatus est Episcopus Alexandrinus, statimque litteras ex more misit ad *Simplicium* Papam, & ad *Calendionem* Episcopum Antiochiæ, ad *Acacium* vero Constantinopolitanum Episcopum, cui jam pridem insensus erat, scribere neglexit. Ea res animum *Acacii*, qui se a *Joanne* despectum credidit, graviter commovit. Hinc *Acacius* vindictæ cupidus *Zenonis* Imperatoris animum adversus *Joannem* vehementer exasperavit, iniquans *Zenoni*,